

CAPITA
 QVAEDAM PRO-
 POSITA AD DISPUTANDVM
*de felicitate seu vita beata
 in terris,*

A

IOACHIMO CAME-
 RARIO PABERGER. IN ACA-
 DEMIA LIPSICA XV. CALEN.
*May, Anno CHRISTI
 M. D. LXIII.*

IN OFFICINA VOEGE-
 LIANA.

De felicitate
C. v. de felicitate
propositio
ante omnia constant
fidelitatem felicitas
collocanda est videtur

Uocantur autem
que. Quod
a verbo cadit
Sicut fortiter
omnem. De fortitudine
quidem apparet
tem, primi & per
hacerent, olim dicitur



De felicitate
moralis dicitur
hac rebus perfectum
ut ostendere
sententiam philosophi

6163 . n . 3 . 20

Sed felicitatem
est sic respiciant
compos

CAPITA DISPUTATIONIS
de felicitate seu vita beata in terris.

I.

CUM Politicis & Ethicis disputationibus
propositum sit definire vitam beatam homi-
num, qui finis est & quod ultimum bonorum,
Ante omnia constituendum, in quo genere expe-
tendorum felicitas, quæ est Aristoteli εὐδαιμονία
collocanda esse videatur.

II.

Vocantur autem beati & felices μακάριοι quo-
que. Quod εὐτυχεῖν nomen Aristoteles ἐν τῇ μά-
λα καίῃ duci innuit. Beatus manifesta forma
à verbo cadit quo utitur Comicus, Ecquid beo te?
Sicut fortunatus ὁ εὐτυχὴς à verbo apud alterum
Comici, Di fortunabunt vestra consilia. Beatum
autem apparet habere significationem boni: Feli-
cem, firmi & pacati, ut fedus. Quæ cum e pro-
ducerent, olim duabus, e e, scripserunt.

III.

De felicitate sane seu vita beata, philosophia
moralis quærit & hanc studet reperiri, Et quibus
hæc rebus perficiatur, quæq; vis ac potestas illius
sit, ostendere conatur. Cum quidem is Poëta quem
Scenicum Philosophum appellarunt, pronunciet,
Θνητῶν ὅτ' ἔσθ' εἰς εὐδαιμονίαν αὐτῆς.

Euipides
Medea

IIII.

Sed felicitatem tamen, ut hominum captus
est, sic vestigavit sapientia humana, Quod finem
A 2 consilio-

consiliorum actionumq; in hac vita constitui oportere cerneret, siquidem societas in ea & congregatio esse durareq; deberet, ad quam ipsius naturæ sensus impellere videretur. Infinitum autem neq; rationem, ordinem, legem, modum habet, neque ullam cognitionem aut usum admittit. Unde boni ipsius natura finem determinari scimus.

V.

Nunc igitur institutum persequamur, hinc, ut conuenit, ordientes. Quæ bona iudicantur, *καλὰ* vocant Græci, ea omnium sententia expetenda, id est, *αἰετὰ* sunt. Ut ubi copia fiat sumendi, qui nolit sumere, reperiatur nemo, aut si quis reperitur, is desipere existimetur. Sicut contra *κακὰ* & *φθυρὰ*, mala & fugienda.

VI.

Quod si felicitas est finis, id est, bonorum ultimum, seu *τέλειον*, iam recte hæc ut summa quædam expetendorum, eximium bonum perhibebitur, & eiusmodi, ut tanquam diuinum quoddam bonum non laude sed veneratione dignum sit.

VII.

Laudantur enim ea quæ pulcritudine & decore commendantur, honesta, præclara, pulchra, speciosa, quæ Græcis *καλὰ* sunt, Et eadem *ἐπαινετὰ*, ut virtutes, id est *δῆταί*. Atq; hæc singulæ illa quidem momenti ad felicitatem seu vitam beatam habent plurimum, sed non absoluunt hanc neq; perficiunt.

Iam

Iam bonorum diuersa etiam consideratio est. Quædam enim simpliciter bona esse intelliguntur & sua natura atque re uera, id est, καὶ αὐτὰ καὶ ἀπλῶς καὶ φύσιν καὶ ἀληθῶς : Quædam alicui, & opinione, ea sunt φανόµενα καὶ τινί.

I X.

Præterea bona quædam sunt externa, corporis inquam & eorum quæ pertinent ad vitæ degendæ commoditatem: Et interiora, Animi. Hisq; contraria, Mala. Neq; est admittenda de verbo contentio, cuius controuersia ad rixas idonea, veritatis studio nihil prodest.

X.

Quoties autem existit consensio quædam & copulatio honesti & boni, congruentibus rebus atq; iudicijs, Tum appellatur egregia in hominum vita & magnopere prædicabilis laus, sermone Græco, apto ad duplicanda nomina, καλοκἀγαθία, & hac præditi καλοκἀγαθοί. Cum honesti homines, qui idem boni viri dicuntur, sine illa coniunctione Græcis sint ἀγαθοί & ἐπικεῖς, vt futiles & improbi φαῦλοι καὶ μοχθῆνοί, qui in turpitudine vituperantur.

X I.

Iam eorum quæ expetenda nominauimus, quædam expetuntur per & propter se, quædam respectu quodam & aliorum causa. Hæc necessitatem quandam complectuntur, illa absoluta quor-

dammodo sunt. Qui enim verbi gratia in templum venire vult, is necesse habet domo exire & progredi in via, & accedere ad ianuam templi & ita introire.

XII.

In hoc iam absolutorum genere consistit vita beata, compos efficacitatis, quæ ἐνέργεια interpretantur, quæ in seipsa acquiescens nihil præterea iam requirit, sese una contenta, neque alterius ullius rei indigens aut desiderans quicquam amplius. Quod Græci uno verbo indicantes τὴν εὐδαιμονίαν aiunt esse αὐτάρεια.

XIII.

Et si autem hæc perfectio summa est, Non tamen quicquam obstare Peripateticis visum est, quo minus vita unius quam alterius beator, & aliquorum beatissima perhiberetur. De quo rursus Stoici λογομαχοῦντες cum illis litigarunt. Secundum enim Græcorum Proverbum, φιλοῖναις οἷόν ἐστι λείπειν εἰς φιλονεικίαν μάχην. Quæ nos nihil morantes ita persequemur reliqua.

XIIII.

Si vitam beatam collocare in efficacitate quadam rectum est, Et hæc referri ad mala in quibus sunt viciosa atque turpia, nequit: Relinquitur ut efficacitas illa sit virtutis. Virtutes autem, etsi eo ipso quod virtutes sunt, perfectione bonitatis exæquantur, æstima-

estimatione tamen singulatim differunt, ut vnā
altera præstantiorem esse appareat.

XV.

Reperta igitur præstantissima virtute, cum
hac nimirum beatissimam vitam seu maximam
felicitatem coniungi oportebit.

XVI.

Virtus vero, quia alicuius virtus est, inuento
optimo, quæ præstantissima sit, constabit, nimi-
rum, eius quod est optimum.

XVII.

Ex hoc Aristoteles concludit sapientiæ stu-
dium, quod in animi contemplatione & ve-
stigatione veri, cognitioneq; & scientia ver-
satur, maximam felicitatem complecti: Ut sa-
pientiæ studiosissimi, beatissimi perhibendi esse
videantur.

XVIII.

Hæc enim certe erit efficacitas eius, quod
in hominis natura excellentissimum maxime-
que diuinum principatu imperioq; & potesta-
te summa præditum existimatur, & compre-
hendere notionem rerum honestarum & ad-
mirabilium, quibus autor ille τὴν θεῖαν nomen
tribuit, siue νοῦν, id est, mentem, seu quid ali-
ud hoc esse statuatur.

XIX.

Nemo autē vnquam aliud in homine vel me-
lius vel excellentius vel diuinius querendo inue-

nit, aut asserendo posuit, *Mente*, quæ est intelligentia rerum omnium, sine cogitatione & ratione animaduersarum, seu perpensarum considerationes, seu cognitione & scientia perspectarum. In hoc enim principio causæ insistent, ut istum fontem eximie naturæ humanæ esse, cum veterum sapientum doctrina, tum ipsa rerum veritate demonstratur.

XX.

Eamq; ob causam Plato, aliquanto hic quidem timidius, Aristoteles autem perquam confidenter, hominem esse Mentem pronunciauit. Quod quidem quomodo dicatur, ab erudita doctrinæ indagatione non fuerit alienum.

XXI.

Platonica in Alcibiade sunt. Aristotelica vero in ultimo libro Nicomacheorum nonnihil hæc sane verbis, ut videtur, dissentanea. Delectatus autem hic autor fuit argutis atq; subtilib. & inuolutis disputationibus, cum de alijs tum maxime de ijs quæ obscura & parum explorata essent plarisq;. Quorum non est postremū τοῦ νοῦ τοῦ ἀνθρώπου.

XXII.

Cum autem dicat Aristoteles Sapientes, qui sunt θεωρητικοί, id est cognitioni & scientiæ dediti: Non degere humanam vitam sed diuinam quandam: Et mox, Mentis ductum quæ sequatur vita, Eam vitam peculiarem & propriam esse hominis, εἰς τὴν μάλιστα τὸ τοιοῦτον ἀφίσταται, haud scio an contraria subiungere videri possit.

Sed

Sed hæc fortasse liceat explicare significatione verborum diuersa. Aliud nimirum hominem appellante, istudq; animal eximium alijs oculis intuerente vulgo ac imperita multitudine, quam doctis & sapientibus, quanq; veritas studio scientiæ perquisita, esse demonstrat.

Verum ista diuinitas in homine, vt Aristoteli placet, Quid tandem est? An prædicatione bonitatis & amplitudinis atq; excellentiæ contenti esse debemus? Et quod explanare ipse noluit, id relinquere neq; amplius scrutari.

Hoc quidem, vt opinor, faciendum neq; ociosis & parum acutis. Quandoquidem ipse sua quibusdam edita, quibusdam non edita esse affirmauit. Et non defuerunt, qui quamuis firmas & immotas atq; certas illius rationes labefactare & euertere conarentur. Ex acribus vero & abundantibus ocio, si quis in obscuris & difficilibus enodandis & enucleandis operam nauare uoluerit, is palmam hanc ingenij & solertiæ habet in medio positam, de qua etiam, secundum Poëtam Teium,

Cum autem & aliæ Mentes quam humana ab Aristotele esse perhibeantur, de illis quæ disputari queriq; possent, ea secundum ipsum

ὥς ἐκ οὐκ ἐστὶν τῆς ψυχῆς ἀκρίβειας. De humana autem Mente, quid statuendum esse existimemus, de eo non abstrusam neq; versutam, sed simplicem quandam ac planam sententiam opinionis nostrae indicabimus.

XXVII.

Si enim Mens complectitur causas rerū, quae res cognitione continentur, & inest homini natura, suāq; habet incrementa, & opera huius scientia elaborantur, quod quasi instrumentum illius tempus suppeditat, secundum hunc ipsum autorem: Quid aliud suspicer Mentem esse putandam, nisi vim & efficacitatem certae & exploratae comprehensionis, in causarum de quacunque re perspicientia insistentem, non reperio.

XXVIII.

Haec autem efficacia neq; statim à primo ortu hominis, neque in omnibus, cernitur, neq; iis confundi putatur, quae molem corporis aut cū hac societatem habent, Itaq; separabilem esse Aristoteles ipsam per se asserit. Utrum quidem Mentem, id est, ^{νοῦν} in homine esse proprie, an minus proprie perhiberi putandum sit, nunc inculcare querendo non libuit, neq; fortasse fieri hoc debuit.

XXIX.

Utrum etiam haec natura, id est, ^{σοφία} quaedam sit, alia atque diuersa siue ab anima seu animo humano, ^{καὶ ἀπὸ ψυχῆς} : An potius ipsius animae eximia quedam vel pars
vel

vel facultas : Neque ego definiendo decernere
possum, & esse inexplicabile arbitror. Atque
hanc in medio relinquo disputationis ut erudi-
ta & liberalis, sic perpetua & infinita ma-
teriam.

XXX.

Atque repetens breuiter supra dicta : Maxi-
mam hominum felicitatem præclare ab Aristo-
tele collocari arbitror, in veri inquisitione & stu-
dio sapientiæ, quæ est φιλοσοφία, & cognitionis
atq; scientiæ quiete ac ocio, quod genus χολασικόν
veteres appellarunt. Inq; hoc, non ignorans quid
contra ista dici soleat, cum illi tanto auctori, &
ipsius Magistro Platoni assentior, tum fortasse
ordini nostro assentor. Sic tamen, ut felicitatem,
cuius particeps esse potest conditio nostra, neque
sinceram atq; perfectam, neq; stabilem & fir-
mam ullam istis rationibus demonstrari, & pro-
pter dubios casus incertamq; fortunam, ne in ma-
xima quidem prosperitate, pronunciandum de vi-
ta beata hominis esse censeam.

XXXI.

Reprehensam autem sententiam Solonis ab
Aristotele : Felicem, ante exitum ex hac vita per-
hibendum esse neminem : potuisse & fortasse de-
buisse comoda potius interpretatione confirmari,
quàm exagitando conuelli, existimo. Quoniã fine, &
eo quod extremum est, omnium rerum bonitas specta-
tur, & quemadmodum Rhetor ait, πῶς τὸ τελευτᾶν

ἐν βίᾳ

non est
hæc & dicitur
hoc non con-
sequitur
absurda

ἐκδὼν ἕκαστον τῶν προὐπαρξουσῶν ὡς τὰ πολλὰ κέινεται.
Et nostrate prouerbiū est, à nobis sic aliquando
latine enunciatum :

Omnia tunc bona sunt, clausula quando bona est.

XXXII.

Sed hæc est ingenij & intelligentiæ humanæ
in studio exquirendi verum experientia atq; pro-
gressio. Quæ vt præclari ac egregij aliquid efficiat,
ad bustum vsq; humanam felicitatem deducit.
Nam & Homerici inferi & Platonica à Pytha-
goreis acceptæ ψυχῶν ἀφελήσεις, vel ἀκηννογίαι μυ-
θικαὶ sunt vel plane vmbrarum fabulæ: Et id quod
post mortem solum remanere politici homines
prædicant: Nomen celebre & laudis decus, ne-
scio quo pacto & ipsum leue atq; frivolum vide-
tur. Vt de beata vita non caduca neq; vana sed
constante & sempiterna, alia schola habenda sit,
quæ explicatur in sola Ecclesia demonstratoris &
largitoris illius filij Dei Domini nostri Iesu Chri-
sti, cuius cum Patre & Sancto spiritu, est omnis
laus, honor, gloria sæculis infinitis.

συμμικτὰ προβλήματα τινὰ, quæ sunt quæ
stiunculæ propositæ ad considerandum.

I.

Cur ἀλογία non numeratur inter Gramma-
tices partes, cum hæc non minus quàm ἐτυμολογία
ad artis rationem pertinere videatur? An potu-
it, vel

it, vel debuit hæc quoq; numerari? An in quatuor
illarum partium numero *ετυμολογία* non originis
vocabulorum, vt alibi, sed naturæ consideratio-
nem notat? Et illius *ετυμολογίας* quemadmodum
ἀναλογίας præcepta per totam observationem &
vsum omnem artis sparsa sunt, non aliter quam
vetustatis & autoritatis & consuetudinis, cum
Etymologia & *Analogia* rationem & causam
veritatis in sermone afferre & reddere conentur.

II.

Unde *ἀήρ*, *αἶθρ*, *ἀέθρ*; An non est *ἀήρ* οἶον δὲ
τῆς ἀορασίας, caliginosus, sed à verbo potius illo
vnde & *αἶψα* ἡγοῦμαι *αἶψα*, quod habet significa-
tionem flatus & agitationis. Aëris enim perpe-
tue sunt commotiones & fluxiones. Vel secundū
alteram Platonis etymologiam, dictus est *ἀήρ*, ὅτι
αἶψα τὰ δὲ τῆς γῆς. *αἶθρ* vero, an est, vt tam Pla-
to quam Aristoteles *ετυμολογῆσατο*, à cursu sem-
piterno: An vero à candore igneo, nam *αἶθεος*
verbum hoc significans in Græco sermone est vsi-
tatum. Unde placuit quibusdam & *ἀέθρ* no-
men deduci, vt sit *ἀέθρ* quasi *αἶθρ*ς, Cum tamen
venire alicui in mentem possit, in hoc nomine esse
*αἶθρ*ς, vt *ἀέθρ* quiddam intelligatur, τῶν ἀ-
έθρων αἶθρ φερόμεν καὶ νῦν μὲν ἐν τῇ νύκτι δ' ἐν
ἐκείνῳ τόπῳ φαινομένων.

III.

χολασμός ἐστὶ ζῶον ὃ πάντες κάταγε-
λῶσι, κατὰ τὸν ἐπικλήτον, πῶς ἄρισται, ἢ ἔκ
ἐστίν

ἔστιν ὁρισμὸς ἔστι, ἀλλὰ μόνον ὑπερβαθί-
τις παιδείας ἀποδείξαι, Διὰ τὸ ἔτε ἀπλὸν
τὸ γνῶσθαι ἑαυτὸς κυρίως κατηγορεῖσθαι,
ἔτε διαφορὰν δεῖν ἀμφισβητήσιμόν τι ἔχον
ἐν τοῖς γνησίοις ὁρισμοῖς.

IIII.

ὁ δὲ κατηγορίαις ἔστι τῆς νόσσης ὁρισμὸς ψυ-
χῆς, ὅδε: ψυχὴ ἐστὶν ἐστία ζῆται, ἐστία ζῶ-
σα, νοερά, σώματι ὁργανικῶ καὶ αἰσθητικῶ
δυνάμει ζωτικῶ καὶ τῶν αἰσθητῶν ἀντιλη-
πτικῶ δι' ἐαυτῆς εἰσείσα, ἕως αὐτῇ δεικνύ-
ται σιωπῆσθαι φύσις: ὁ τοίνυν ὁρισμὸς
ἔστι μὴ καὶ ἀπολεονάσαι καὶ ἐλλείπειν εἶναι
δόξαι αὐτὴν τι προσέχοντι τὴν γνώμην: τὸτο
μὲν ὅτι τὸ νοερὸν ἀνάγκη καὶ ζῆναι, τὸτο δὲ,
ὅτι ἔστι πάντος ἀλλὰ τινὲς σώματι ἢ τοι-
αύτῃ ψυχῇ.

V.

Νῆς ὁρῇ καὶ νῆς ἀκέραια δὲ κωφὰ
καὶ τυφλά. πῶς εἰρηδοται οἰητέον: πῶς
τερον ὡς καὶ δυνάμει αἰσθητικῆς ἐν τῷ νῷ
ἐκείνης, ἢ ἔστι νῆς ἔστιν ἄλλο ἐκείνῃ παρὰ τὸ αἰ-
σθητικὸν σημαίνοντες, οἷον ἐν τέτοις,
τόν δ' ὡς ἐν ἐνόησεν ἀλέξανδρος Θεοφίλης.

VI.

Quare noua et recentia qualiacumq; vulgo ac
à sapi-

à sapientibus quoq; præferuntur vſitatis atq; vè-
teribus? Et Homero teſte,

τὴν αἰεὶ αἰδῶ μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι
ἢ τὴν ἀκρόντες νεωτάτη ἀμφιτέλεται.

An vulgus imperitum affectionem ſequitur non
rationem, & non quærit veritatē, ſed ducitur opi-
nionē. An cognoscendi quoq; & experiendi cupidi-
tate naturaliter homines impellente, ita appetun-
tur nondū frequentata. An ſecundum Stagiritam
cauſſa hæc etiam recte afferri poteſt: Senſuum effi-
cacitatem eſſe primum intenſiorem, & conſuetu-
dine remiſſiorem fieri. An etiam callidi ac ſapien-
tes falli poſſunt ſpecie, et opinione bonitatis decipi,
τοιοῦται γὰρ γνώμῃ ἐξαπατῶσ' ἰδεοί.

Quæcunq; autem præſtare bonitate creduntur, ea
alijs præponi ſolent.

V I.

An alicubi in numeris multiplicādo & adden-
do idem conſcitur. Siq; hoc fit, qua de cauſſa?

V I I.

Cur Pythagorei principium rerum numeros fe-
cerunt? An cum omnia tam quæ ſub ſenſus cadūt,
quam quæ intelligentia comprehenduntur notionē
τὸς αὐτῆς καὶ τῆς οὐσίας vel per ſe vel reſpectu quodā com-
plectantur, Quæ eſt ſpacij, id eſt, μεγέθους, & mul-
titudinis, id eſt, πλῆθους conſideratio, cumq; utrum-
que numero explicetur, hic inſiſtere perſcru-
tationem naturæ & cauſſarū opor-
tere recte exiſtimarunt.



